

05

A

2066







DISPUTATIO ORDINARIA

De
**FIDĒ PARVULO-
RUM**

Iesuitarum & Calvinianorum strophis opposita

ET

Adjuvante DOMINI Spiritu

In inelyta Academia VVITTEBERGENSI publi-
ci exercitij gratia proposita

AVTORE & PRAESIDE

FRIDERICO BALDUINO

S. Theol. D. Professore Pasto-
re & Superintendente:

RESPONDENTE

M. MATTHÆO BACHMANNO

Dresdenſi, Collegij Philoſ. Adjuncto.

Habebitur diſputatio s. d. 21. Januar. horis & loco ſolitis.

WITTEBERGÆ,

E Typographico Iohannis Gormanni, Anno 1611.





Viro

*Magnifico, Clarissimo & Consultissimo
Dn.*

LEONHARTO CÖPPELIO
J. U. D.

*Serenissimi & Potentissimi Principis ac
Domini, Dn.*

CHRISTIANI II.

Ducis Saxoniae, Juliae, Cliviae & Montium, &c. VII viri, Consiliario, Synedrij, Ecclesiastici & Judicij Appellationum, Assessori dignissimo, itemq; Syndico Reipub. Pirnensis ordinario,



05 A 2066

*Mecænati ac Promotori meo omni observantia
studio colendo,*

Hanc de fide parvulorum συζητησιν Theologicam cum felicissima novi anni com-
precatione

Offero & consecro

RESPONDENS.





συν Ἰησῷ.

DE FIDE PARVU- LORUM.

Thesis I.



CRAVISSIMA VOX EST SALVATORIS, qua puerilem ætatem sibi vel inprimis curæ esse docet, eamq; nobis adultioribus, tanquam Salutis nostræ *παρθευθήριον*, de meliore nota commendat: *Amen dico vobis,* (inquit) *nisi conversi fueritis & efficiamini sicuti parvuli, non intrabitis in regnum cælorum, Matth. 18, 3.*

II.

Quæ sententia utinam tam sacrosancta nobis, quàm nota vulgo est: Ita & minor pueritiæ corruptio metuenda, & accuratior salutis cura adultis speranda foret. Quod dum utrinq; negligitur, mirum non est, quod mores adultorum perdunt juniores, & salus juniorum suspecta redditur adultis.

III.

De scandalis morum jam nihil agam: viderint de ijs & parentes & præceptores & Ecclesiarum ministri, & quibuscunque pueritiæ commendata est educatio: de eo inprimis quæstio est, in quo ingressuris in regnum cælorum Exempli loco esse debent.

IV.

Hic verò varia occurrunt, in parvulis passim commendata, putà sancta fidei simplicitas, vera animi humilitas, singularis *αὐταρκεία*, in signe pacis & concordia studio, & quæ sunt similia

A 2

inter

inter quæ familiam ducit Fides ipsa, sine qua Christiani neque
hac in vita viriliter pugnare, neq; altero in seculo feliciter tri-
umphare possunt.

V.

Cum itaq; de cæteris Virtutibus puerorum omnibus con-
stet inter omnes, quod, qui ijs destituuntur, aditum ad regnum
cælorum non habeant: de fide saltem fecit Diabolus opinio-
num divortium, haud dubiè eum in finem, ut & consolatio pa-
rentum in præmatura morte liberorum fieret infirmior, & imi-
tatio adultis difficilior.

VI.

Igitur non abs re, ut opinor, erit, si in quæstionem de FI-
DE PARVULORUM accuratius dispiciamus: ubi quidem
compendium rei facturi sumus, si antequam ad tractationem
Thematis ipsius descendamus, termini evolvantur, & quid hac
in disputatione per FIDEM, quid per PARVULOS, intelliga-
mus, indicetur.

VII.

Fides
FIDEI πολυσημία omnem hic non explicabimus, neq;
opus est. Sufficit uno verbo indicasse, nos Fidem eam intellige-
re, quæ ingreditur Justificationem hominis coram Deo: una
enim est ratio Justificationis apud Deum, in parvis & adultis.

VIII.

Fides hæc complectitur notitiam, assensum & fiduciam:
quæ tria sese invicem consequuntur. Notitia & assensu
in intellectu, cui τὸ εἶναι rei innotescit, & pro veritate accipi-
tur. Fiducia est in voluntate, apprehensio nimirum seu receptio
Christi in Evangelio.

IX.

Nulla harum partium à fide Justificante abesse potest. De
assensu nullum est dubium: nam qui non assentitur non credit.
De notitia, citra absurditatem, esse non potest: assensus enim
nō est absq; notitia: Ideo fides vocatur in scriptura σοφία, γνῶσις,
ἐπιγνώσις & σύνεσις πνευμαλική, 1. Cor. 1, 5. 8, 7. Col. 1, 9. 2. Pet. 1, 3.
& 5. De fiducia esse non debet; quia fides imputari dicitur ad Ju-
sticiam, Rom. 4, 22. notitia autem nō imputatur, quia non omnes
dicentes, Domine, Domine, ingredientur in regnum cælorum,
Matth. 7. 10. Dici-

X.
Dicimus itaque, Fidem justificantem extra suas partes non esse, cujus priores duæ à posteriore præsupponuntur, ut à fiducia, tanquam nobiliore parte fides denominetur & vera sit, licet & notitia & assensus sit interdum & obscurior & debilior, quemadmodum in ijs, qui gravi morbo decumbunt, & intellectus usum ferè omnem amiserunt, fieri solet.

XI.

Hæc de Fide hoc loco notasse, sufficiat, quæ contra Pontificios probè observanda sunt, qui quando de Fide parvulorum disputant, eam duntaxat fidem intelligunt, quæ est intelligentia & assensus articulorum fidei, quam cum in pueris sensibus externis non animadvertunt, protinus fidem eis abrogandam esse blaterant.

XII.

PARVULI, de quibus Sermo nobis est, sunt omnes, qui ad annos discretionis nondum pervenerunt: interdum adhuc prorsus infantes, in cunis aut in sinu matris jacentes, quos Greci *βρέφη* appellant, quales Christo afferebantur in ulnis, *Luc. 18, 15.* interdum firmiter sunt corpusculi, sed nondum fari possunt, græci dicuntur *νήπιοι*, quod vocabulum de Infantibus Christus usurpat, quibus comparat simpliciores in fide, *Matth. 11, 15.* Interdum & fari & ambulare possunt, sed tamen ad discretionis annos nondum pervenerunt: tales parvuli dicuntur *νηπιάκια*, quæ græcis ejusmodi pueri sunt, qui opus nutrice habent, à qua curentur. Hi omnes generali nomine *νηπιάκια* parvuli vocantur, *Matth. 18, 6.*

XIII.

De his parvulis quæstio est non exigui momenti, an habeant fidem Justificantem, hoc est *an verè credant in Christum, & Quæstio disputat, hæc sua fide vitam apprehendant eternam?* De hac enim quæstione rationis non est una eademq; in Ecclesia sententia.

XIV.

Infidelium parentum liberi in disputationem nostram non veniunt. Hic enim cum Paulo dicimus: *Quid mihi de illis,*

A. 3.

qui

qui foris sunt? eos qui foris sunt iudicabit Deus, 1. Corinth. 5, 12. quamquam si Scripturam consulamus, manifestum est, fidem esse donum Ecclesiae Eph. 4. ac proinde in ijs, qui sunt omnino extra Ecclesiam, esse non posse.

XV.

Sed de parvulis Christianorum quaestio est: quorum natiuitatem si consideres, omnes simpliciter naturam immundi sunt, ex immundo concepti semine, sive ex verè pijs, sive ex impijs nati sint. Quis enim mundum dabit de immundo conceptum semine. Job, 14. transgressores sunt ab utero, Psal. 58. Esa. 48. natura filij irae, Eph. 2. & gramen seminis mali seminatura est in corde Adam ab initio, & quantum impietatis generavit usque nunc, & generat, usque dum venerit area? 4. Esd. 4.

XVI.

Sanctitas liberorum non est naturalis.

Nemo itaque (ordinario modo) vel in utero matris fide est praeditus, neque naturam fidelis aut sanctus esse potest, licet à fidelibus & sanctis parentibus in lucem editus. Parentes enim gignunt liberos non secundum imaginem Dei, quae in eis regenerata est; sed secundum imaginem suam; Gen. 5. quae carnalis est, & manet etiam in renatis, Rom. 7. sanctitas autem & fides non a prima natiuitate dependet, quam à parentibus habemus: sed à natiuitate altera, quae ex Deo est Ioh. 1.

XVII.

Neque obstat, quod radicis sanctae rami dicuntur sancti, Rom. 11, 16. & mulieris fidelis liberi itidem appellantur sancti, 1. Cor. 7, 14. Loquitur enim Apostolus utrobique non de sanctitate Spirituali, quae hominem facit Deo gratum, & eorum est, qui sunt in foedere: sed de sanctitate legali, seu civili, quae non tam ad personam parentis, quam ad conditionem totius gentis respicit: qua nimirum ex fidelibus nati parentibus jus habent atque aditum ad beneficia Ecclesiae. Quam ob causam Tertullianus in libro de Monogamia sanctos illos in Epistola ad Corinth. vocavit fidei candidatos, hoc est, ad Christianam fidem & sanctitatem deputatos, quam per Sacramentum initiationis impetrare poterant.

10. Ad

XIIX.

Ad illa beneficia Ecclesiæ liberi infidelium non admittuntur, nisi prius legitimo modo in potestatem Christianorum venerint: idcirco immundi dicuntur, communes, sine Christo, alieni à conversatione Israël, & hospites testamentorum, &c. *Act. 10. Ephes. 2.*

XIX.

Hoc sensu D. Petrus dicit de infidelibus, quod & ipsorum fit promissio, licet de longè sint, hoc est, extra Ecclesiam, modo Dominus eos advocaverit, *Act. 2, 39.* Et tamen D. Paulus scribit, quod infideles promissionis spem non habeant, *Eph. 2, 12.*

XX.

Quæ duo dicta non pugnant. Petrus enim loquitur de ijs infidelibus, quos Dominus adduxerit, vel jure belli, vel emptione, vel alio aliquo simili modo legitimo: tunc enim non amplius omninò foris sunt, sed pars aliqua familiæ nostræ facti, quorum parentes non suis amplius legibus & moribus, sed nostris vivere necessum habent, & sic cum Christianorum liberis nondum baptisatis (quoad hoc) pari passu ambulant. Paulus autem agit de ijs, qui simpliciter adhuc foris sunt, & quatenus in naturali infidelitatis suæ statu considerantur.

XXI.

Etsi verò illorum etiam de quibus Petrus loquitur, est promissio fœderis, quia nimirum aditum habent ad acquirendum jus civitatis Dei: promissionis tamen non fiunt participes, neque cives Ecclesiæ sunt, neque in fœdere, nisi per ordinarium medium Baptismi Ecclesiæ & fœderi Dei inserantur.

XXII.

Plura enim requiruntur ad hominem fidelem & civem Ecclesiæ quàm aditus ille ad privilegia sanctorum, nimirum fides in Christum, gratia Dei, regeneratio, *υιοθεσία*, Spiritus sanctus quo duce fiunt ea, quæ Deus in cœlis à subditis seu domesticis suis exigit. Quæ omnia individuo nexu conjuncta sunt & nondum baptisatis tribui non possunt.

XXIII.

Impium itaq; dogma Calvinianorum est, quasi liberi Christianorum

*Calvin lib. 4.
Inst. c. 16. § 24.*

Christianorum nascantur in fœdere, cuius jus in baptismo eis non demum conferatur, sed tantum obsignetur. Quem errorem *Parentis* ita interpolavit in *Comm. ad Rom. c. 11. dub. 13. pag. 1177.* quod nascantur quidem filij iræ secundum naturam, sed nascantur Christiani, seu cives Ecclesiæ secundum gratiam: quæ duo, inquit, non sunt repugnantia. Et in *c. 7. prior. ad Corin. scribit p. 41.* non nascimur in Ecclesia Christiani, nempe regenerati: nascimur tamen in Ecclesia Christiani regenerandi.

XXIV.

Cui errori hæc pauca oppono: 1. Falsum est, eos, qui in Ecclesia nascuntur, etiam nasci in fœdere Dei; nam fœdus Dei plura complectitur, quam externum illum accessum ad beneficia Ecclesiæ. Complectitur enim gratiam Dei, adoptionem, Spiritum sanctum, hæreditatem vitæ æternæ: à quibus multi sunt exclusi, quibus tamen ad consequendum ea aditus præclusus non erat.

XXV.

2. Fœdus illud paciscitur Deus cum homine non ante Baptismum, sed in Baptismo: ibi enim pater noster fit, & nos in filios adoptat, Spiritum S. & hæreditatem æternorum bonorum revera largitur, juxta illud Apostoli: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis in Spiritu sancto, quem effudit in nos opulenter, per Iesum Christum Salvatorem nostrum, Tit. 3, 5, 6.* & alibi: *omnes filij Dei estis per fidem in Christum Iesum: quicumque enim in Christo Iesu baptisati estis, Christum induistis Galat. 3, 26.* Quid autem est induere Christum, quam omni suo merito frui (quod iis qui baptisati non sunt, denegatum est).

XXVI.

3. Nasci aliquem Christianum, seu civem Ecclesiæ, inepti phrasus est, scripturæ & Ecclesiæ ignota. Nascimur enim filij iræ *Ephes. 2.* renascimur autem filij Dei, *Ioh. 1.* dedit potestatem filios Dei **FIERI** eis qui credunt, &c. Et Baptismus salutaris illa clavis est, quæ nos in domum Dei, quæ est Ecclesia, intro mittit: antequam baptisamur, dubium non est, esse nos in regno Satanæ, ex quo per Baptismum eripimur. Et quorsum opus esset, Christum in Baptismo demum induere, si ante Baptismum

ptismum Christiani essemus & ~~aves~~ Ecclesie? Hinc est illud
Tertulliani: *Fiunt non nascuntur Christiani. in Apol. cap. 17.*

XXVII.

4. Deniq; ineptè dicitur, non secundum naturam, sed se-
cundum gratiam nascuntur Christiani. Christianismus enim
non est generationis naturalis, sed regenerationis spiritua-
lis: ideò nemini obtingit, nisi qui medijs illis utitur, quibus
Deus recipit nos in fœdus gratiæ. Medium autem illud
non est carnalis propagatio vel naturalis generatio, ea enim
peccato polluta est, *Psal. 51.* sed baptismus, qui propterea la-
vacrum regenerationis dicitur, *Tit. 3.* quia eo mediante rena-
suntur & fiunt Christiani, seu filij Dei, qui carnaliter filij iræ,
& inimici Christi nati erant.

XXVIII.

Certum igitur est ex his, quæ hætenus dicta sunt, parvu-
los omnes, utut a pijs & fidelibus parentibus natos, absque fide
nasci, ac proinde calumnia est nonnullorum Adversariorum,
quasi statuamus, liberos Christianorum adhuc in utero Matris
constitutos, fide esse præditos: Calvinianis hoc occinatur, qui-
bus Christianorum liberi sunt in fœdere, antequam baptisen-
tur, quiq; infantes Ecclesie etiam ante Baptismum censent fi-
deles, alioquin non esse baptisandos, dicente *Paræo, in cap. 7. pri-
oris ad Corinth. pag. 415.*

XXIX.

Ad Baptismum igitur deveniendum est, quando de fi-
de parvulorum disputatur, & inquirendum, an ibi fides detur
infantibus, & quomodo ea sese habeat? Hic enim panditur il-
lud opinionum divortium, de quo suprâ diximus.

XXX.

Anabaptistæ parvulis omnem derogabant fidem: ideo
enim infantes baptisare nolebant, quia irracionales & indociles
sunt, & fidem non habeant, salvari tamen possint propter meri-
tum Christi, licet non credant, quemadmodum ex scriptis &
colloquijs Anabaptistarum recitat *VVigandus in Anabaptismo*
sol. 10. *Anabaptistarum
opinio.*

B

31. Contra

XXXI.

Contra quem errorem rectè scribit B. Lutherus noster; si maximè infantes fidem non haberent, quod tamen non est, nihilominus tamen baptisandos esse: quia Baptismi fundamentum non est fides infantis, sed institutio Christi. *Luth. in Epistola ad duos pastores de Anabaptismo anno 1528. & in Explicatione Sacramenti Baptismi anno 1529.*

tom. 4. germ.
len. fol. 323. b.

424. a. a.

Pontificiorum

XXXII.

Pontificiorum sententiam certis propositionibus includit Bellarminus lib. 1. de Sacram. cap. 11. Prima est, infantes non habere fidem actualem. Secunda: infantes dum baptisantur, non habere ullos novos motus, & inclinationes similes actibus fidei & dilectionis. Tertia (in ordine quarta) infantibus in Baptismo infundi habitum fidei, spei & caritatis. Quarta, parvulos actu credere, partim re ipsa dum baptisantur, partim aliena fide.

Bellarmin. tom.
3. fol. 332.

XXXIII.

Quam sententiam Ecclesiæ Pontificiæ ita expressit Gregor. de Valentia lib. de Baptis. parvulorum cap. 3. Non requiri in parvulis ad remissionem peccati, cum baptisantur, actualem motum fidei, sed sufficere illis habitum fidei, qui unâ cum gratia infundatur eis in baptismo, & actualem præterea Ecclesiæ fidem.

Valent. in volumine de rebus fidei part.
1. fol. 470.

XXXIV.

Et hanc Ecclesiæ fidem ita intelligunt, non quasi parvulis impetretur fides, qua Justificentur, à fide & precibus offerentium & Ecclesiæ. Fidem enim Justificantem dicunt habere parvulos infusam ex opere operato Sacramenti, Sed fidem Ecclesiæ requiri saltemur dispositionem quandam præcedentem Baptismum, esse quæ; eam, quæ exigitur à baptisandis, cum jubentur recitare symbolū, & interrogantur an credant. Et hinc est, quod dicunt, parvulos esse de numero fidelium, nō quia ipsi credunt, sed quia fidei Sacramentum recipiunt. Quæ omnia conceptis verbis habentur apud Bellarminum & Valentinianum ll. dd.

XXXV.

Calviniani fidem parvulorum ad Electionem ipsorum restringunt,

Calvinianorum.

stringunt, & quos ad vitam electos esse statuunt, iis & fidem & regenerationem donari credunt in tempore post baptismum, cæteris non Electis non item.

XXXVI.

Hinc est quod Petrus Martyr scribit, *infantes non intellige- Nota contradi- re neq, credere, & tamen recte baptisari, quia jam ante sanctificati & ctionem: Para- membra Ecclesie effecti per donum electionis divina, & promissionem pa- us scribit, in- rentibus factam, in 1. Cor. 1. & 7. cap. Et Calvinus lib. 4. Institut. cap. 15. fantes esse fi- § 21. Quos electione sua dignatus est Dominus, si accepto regenerationis deles ante ba- signo presenti vita ante demigrent quàm adoleverint, eos virtute sui Spi- primum; ali- ritus nobis incomprehensa renovat, quomodo expedire solus ipse pro- as non possent baptisari:*

XXXVII.

His horrendo cum boatu acclamat Beza in colloq. Mompelg. *fantes non cre- Martyr ait, in p. 469. Quos Deus aeterno & arcano suo consilio ad gratiam & vitam eter- dere, & tamẽ nam ordinavit, his etiam donat fidem & Spiritum sanctum, &c. Quos verò rectè baptisa- Dominus hoc modo non eligit, etiamsi millies baptisarentur externo aquæ vi. Baptismo, illis tamen nunquam fides aut Spiritus sanctus donatur, sed iusto Dei iudicio relictis sua culpa pereunt.*

XXXIIX.

Ex Calvinianorum igitur sententia, aliqui duntaxat Christianorum liberi baptisati habent fidem, non beneficio Baptismi, ita enim omnibus infantibus Baptisatis fidem tribue- re ipsos oporteret, quod facere nolunt; sed beneficio Electio- nis, ex quo fonte fides jam pridem baptisatos suo demum tem- pore subsequatur.

XXXIX.

Si quæras, qualis ea fides sit, & quomodo se habeat *Eadem habet in infantibus, non dicunt, quod sit notitia Christi & fidu- Amandus Po- cia in ipsum. Beza enim scribit in Respon. ad Acta colloqu. part. 2. lanus in syllo- pagin. 99. non quidem ipsam fidem actu infundi infanti- ge part. 1. disp. um intellectui, sed ejus tamen incoationem quandam, de fide salvif. & veluti semen ac radicem, ut & regenerationis in volun- p. 233. & Bu- tare, arcana & inscrutabili vi quadam SPIRITUS sancti ef- canus Instit. fici. Præterea vocat indicationem fidei, & fidem divinæ Theol. loco 29. in qu. 21. p. 303.*

in compend. Theol. Trelocatus, fidei actum primum, item se-
mentem fidei, non messem, lib. 2. Institut. pag. mihi 200. Ita titu-
bante conscientia fluctuant in hac controversia, ne, quod res
est, fidelem Christi apprehensionem largiri cogantur infan-
tibus.

XL.

Si ulterius quæras, unde semen illud & radix fidei in par-
vulis suum habeat initium, respondet Beza, ex fide parentum &
generatione sobolis. Duplicem enim personam sustinent sancti paren-
tes, inquit, pag. 102. unam, ut prioris Adami filij caro carnem gignentem,
alteram, ut in posteriorem Adamum per fidem adoptati, donum illud ad fi-
lios non jam suos, sed Dei transmittentes, &c. Et paulò infra: Piorum
infantibus primus ad salutem aditus non est baptismus, sed ipsa ex piis pa-
rentibus propagatio, & illius fœderis obsignatio per baptismum non aliun-
de, quàm ex vi fidei parentum ex fœderis formula intervenientis ori-
tura.

Beza filij ex
carne geniti
sunt filij Dei.

XLI.

Sed quàm absurda sint hæc, & impia, quilibet intelligit,
qui ἀνευ δευτέρου & judicat. Certum enim est, pios pa-
rentes, quatenus in posteriorem Adamum adoptati sunt, eate-
nus non gignere liberos, aliàs gignerentur filij Dei ex sanguini-
bus, quod negat Δ' ἀπὸ δ' εὐ D. Johannes. Sequeretur etiam im-
pium illud dogma Papisticum, quasi semina fidei lateant in na-
tura hominis Christiani, quæ propagarentur in sobolem. Con-
trarium autem verum est, quia incredulitatis & diffidentiae se-
mina propagantur: fides verò solius Dei opus est, Joh. 6. Phil. 1.

Bellarmin. lib. 1.
de Baptis. c. 9.

XLII.

Hinc itaque pulcerrimus apparet Syncretismus Spiritus
Papistici & Calviniani. Pontificij fidem actualem infantibus
baptisatis derogant; idem faciunt Calviniani: illi fidem habitu-
alem eis tribuunt; hi semē duntaxat & radicem fidei; illi remit-
tunt infantes ad fidem parentum & Ecclesiæ; hi planè idem fa-
ciunt: illi rationem fidei alienæ afferunt hanc, quod sicut infan-
tes peccatores nascuntur ob peccata parentum, ita quoq; credāt
fide

fide parentū; hi planè idem docent. Ita enim Beza scribit de infantibus, *Resp. ad act. colloq. part. 2. p. 102. Ut alieno simul & suo peccato peccatores; quia in eo erant, qui sibi & suis peccavit: sic aliena simul & sua fide Iustificati; quia in credentibus parentibus erant, qui sibi & suis ex fœderis formula crediderunt, &c.*

XLIII.

His omnibus, ut erroneis, in hac disputatione rejectis, de vera sententia dicendum est, quatenus quidem in hac difficili quæstione aliquid certi ex scriptura investigari potest. Locum enim habeat hîc illud Clementis, *ἡ δὲν ἄτερ θεαφῆς*: proinde ea hîc eligenda, non quæ sensibus videntur veriora, sed quæ analogæ fidei & consona scripturæ.

XLIV.

Lutherus igitur anno 1520. in libr. de captiv. Babylon: Lutheri sententia tom. 2. de Baptismo, ea de re sic scribit: *Hic dico, quod omnes dicunt, si de aliena parvulis succurri, illorum qui afferunt eos, sicut enim verbum Dei lat. len. fol. potens est dum sonat, etiam impij cor immutare, quod non minus est sur- 274. b. dum & incapax, quàm ullus parvulus: ita per orationem Ecclesiæ afferentis & credentis, cui omnia sunt possible, & parvulus fide infusa mutatur, mundatur & renovatur.*

XLV.

Deinde anno 1528. in Epistola ad duos pastores de Anabaptismo scribit: *indubitatum hoc esse, quod infantes Baptisati fidem tom. 4. germ. habeant, nec ex scriptura contrarium probari posse: licet incertam nobis sit, len. fol. 325. qua sit istius fidei ratio, aut quomodo credant.*

XLVI.

Deniq; in formula concordiæ inter Theologos Saxoniarum & superioris Germaniæ anno 1526. cui Lutherus non tam interfuit, quàm præfuit, constitutum fuit, referente D. Chemnitio, credere infantes non quidem quod intelligant aut sentiant motum fidei, sicut adulti, at tamen non destitui infantes omni actione aut operatione Spiritus sancti.

Chemn. in Exam. part. 12. fol. 50. b.

XLVII.

Quæ sententiæ sibiipsis non repugnant, ut existimat

B 3

Bellar.

Bellarminus: sed una alteram explicat. Nam tribuit Lutherus infantibus fidem non habitualement duntaxat, aut radicē solummodò, sed actualem, hoc est, veram operationem Spiritus sancti, qui per Baptismum novos efficit motus in infante, qui qualis sint, explicare exactè non possumus: quod autem non per omnia tales sint, quales in adultis est intelligentia & assensus per auditum verbi excitatus, cum Augustino docet, & experientia comprobatur.

XLVIII.

Quod autem addit, fide aliena Ecclesiæ parvulis succurri, non eum habet sensum, quasi Deus fidem parentum, aut Ecclesiæ ita respiciat, ut propter illam infantem in gratiam recipiat, sed quia parentes aut Ecclesia, quæ credit, promissionem gratiæ ad infantes etiam pertinere, offert parvulum ad Baptismum, pro ipso orat, & hoc impetrat, ut Deus largiatur per Baptismum infanti fidem & Spiritum sanctum, qui in ipso novos motus excitet, quibus Deum suo modo agnoscit, meritumq; Christi apprehendit: sine qua apprehensione propria, aliàs salus ei nulla obtingeret.

XLIX.

Hoc sensu scripsit Augustinus (quem locum subindè inculcant Adversarij) Serm. 10. de verbis Apostoli: *Accommodat parvulis Ecclesia alienos pedes, ut veniant, aliorum cor ut credant, aliorum linguam ut fateantur, ut quoniam egri sunt alio peccante pregraventur, sic cum hi sani sunt, alio pro illis confitente salventur.*

L.

Cujus dicti sensus non est iste, quasi infantes aliena prorsus fide regenerentur & salventur: Scriptura enim & ratio reclamatur; nam quemadmodum non nisi fide propria Justificantur; ita etiam non nisi fide propria regenerantur in Baptismo, siquidem Justificatio & regeneratio *ἀδελφῶν* sunt conjuncta: sed quod parvuli offerantur ad Baptismum à fidelibus, qui fidem ipsis impetrant precibus suis, ac pro ipsis Confessionem fidei edunt.

50. Et

L I.

Et hanc esse mentem Augustini, alibi satis luculenter docuit. Ita enim scribit *Epistol. 23. Aliena fides offerre parvulum ad Baptismum, & ibi aqua forinsecus exhibet Sacramentum gratia. Spiritus vero INTRINSECUS OPERATUR BENEFICIUM GRATIAE.* Regeneratus ergo Spiritus in majoribus offerentibus & parvulo oblato renatoq; communis est: Et per hanc societatem unius ejusdemq; Spiritus, prodest offerentium voluntas parvulo oblato.

L II.

Est igitur vera & orthodoxa nostrarum Ecclesiarum sententia de proposita quaestione, isthac: quod infantes in Baptismo accipiant fidem & Spiritum sanctum atq; sic actu & revera credant; novos motus habeant, excitatos à Spiritu sancto, licet quales illi sint, exactè explicare non possimus.

L III.

Cujus nostræ assertionis ea afferimus argumenta, quibus *ὁ ἐξ Ἰουδοῦ* Confessionis nostræ solidè confirmari & adversariorum opiniones facile jugulari possunt: de quibus paucis videbimus. *καὶ τὰ ὁμοῦν
sententia vera*

L IV.

Familiam hoc in genere ducit illud, quod & Adversarij vocant *Fundamentum firmum & verè solidum*, quod absq; fide nemo neq; placeat Deo, neq; regnum cælorum ingrediatur: de infantibus verò scriptum est, quod illorum sit regnum cælorum, quodq; Deo placeant, *Matth. 19.* unde rectè concluditur, infantibus veram tribuendam esse fidem. *Ita vocat Beza
2. part. 2. Re
spons. ad colloq.
Momp. p. 101.*

L V.

Et ne quis more Pontificio fidem hic de habitu fidei interpretetur, aut cum Beza de semine & radice fidei, obstat *emphasis phraseos*, quia affirmatur; qui credit in filium (non qui fidem habet) habebit vitam æternam, *Ioh. 3.* Illud autem credere, nihil aliud est, quàm Christum apprehendere, interprete Johanne Apostolo, *Ioh. 1, 2.*

L VI.

Quod si *τὸν Ἰησοῦν φουλάττοντες* Pontificij & Sacramentarij illud

Illud & credere de habitu fidei aut de semine fidei exponunt, sequitur, duas esse credentium classes, in quibus aliqui per fidem habitualem, aliqui per actualem salventur; aliqui Christum apprehendant, aliqui non apprehendant, sed apprehendere possint, id quod manifestè contra scripturam est, quæ non nisi unum credentium genus agnoscit, eorum nimirum, qui Christum fidei pectore amplectuntur.

LVII.

Neque est, ut hic ad fidem parentum recurras, in qua di-
verticulum querit Beza. *Infantibus*, inquit, *ita tribuitur fides aliena,*
quoniam in ipsis non inest, ut tamen pro sua in illis ex pacto Dei, censeatur,
ea videlicet fides, qua parentes non sibi solis, sed suis quoq, posteris æternæ in
Christo vitæ jus per misericordiam Dei receperunt. Beza Resb. ad act. part.
2. p. 99. & ipso colloq. pag. 579.

LVIII.

Quemadmodum enim nemo parentum anima, sed sua vivit, ita nemo parentum fide, sed sua vivit coram Deo, juxta illud Prophetæ: Justus sua fide vivit. Habacuc 2. & absurdum est dicere, parentes suis posteris quoque fide sua jus vitæ æternæ in Christo recipere. Sicut enim incredulitate sua parentes liberis non nocent, ita fides ipsorum liberis nihil prodest ad salutem juxta illud, anima que peccaverit, ipsa morietur: filius non portabit impietatem patris & pater non portabit impietatem filij, justitia justi super eum erit, & impietas impij super eum. Ezech. 18, 20.

LIX.

Quod autem de pacto Dei addit Beza, sanè ignorat scripturæ tale pactum, in quo inclusi sunt infantes non credentes. Illud enim cum Abrahamo initum Gen. 17, 7. Ero Deus tuus, & semini tui post te, non nisi cum determinatione fidei propriæ in semine intelligendum est; nam qui ex fide sunt, hi sunt filii Abrahami Gal. 3. 7.

LX.

Alterum assertionis nostræ fundamentum petimus ex
beneficio Regenerationis, quod infantibus contingit in Baptis-
mo; idè enim Baptismus vocatur lavacrum regeneratio-
nis

nis. Tit. 3. Jam verò fieri nō potest, ut regenerentur infantes absq;
fide; nam in regeneratione ex filiis iræ fiunt filii Dei; dedit au-
tem potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomen ejus,
Ioh. 1. Imò hoc ipso discernitur Regeneratio nostra, quæ nativitas
hominis Spiritualis est, à nativitate carnali, quia illa fidelium est,
hæc infidelium: infideles enim nascimur, fideles renascimur, &
ideò regeneratione opus est: quia fide opus est.

LXI.

Summa, conjuncta sunt regeneratio, fides, Spiritus sanctus,
ut unum absque altero esse non possit. Spiritus sanctus enim u-
trumque operatur per Baptismum: quos regenerat, iis & fidem
dat, sine qua regeneratio nulla est.

LXII.

Jam verò certum est, infantes regenerationis beneficio,
sub æternæ salutis periculo, carere non posse: si ordinarium sal-
vandi modum spectes. Ita enim Salvator asserit: Amen, amen
dico vobis, nisi quis renatus fuerit ex Aqua & Spiritu, non ingre-
dietur in regnum cœlorum, Ioh. 3. Si ergo infantibus regeneratio
tribuitur, etiam fides eis denegari nequit.

LXIII.

Accedit tertio loco gravissima Christi assertio, Matth. 18.
ubi parvulis expressè fidem tribuit, Justificantem: qui scandali-
saverit inquit, unum de pusillis istis QVI IN ME CREDVNT, ex-
pedit ei, ut mola asinaria suspendatur de collo ejus, &c. tribuit etiam eis
ipsum regnum cœlorum: Taliū, inquit, est regnū cœlorū Matt.
10, 14. & adultos ita vult excipere regnū Dei sicut parvulos, Matt.
18.

LXIV.

Constat autem, nemini patere aditum ad regnum cœlorum
absque fide, quia in illud nihil intrabit immundi; fide autem
purificantur corda, Act. 15. Ergo infantibus fides propria, non
est deroganda, nisi dicere velis, ipsos in naturali sua immun-
ditie regnum cœlorum ingressos: quod negat Salvator Ioh. 3, 3.
& D. Paulus: Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt, 1. Cor. 15. 50.

LXV.

Sed duo sunt, quæ his opponuntur ab Adversariis, quorum
C Utrumq;

utrumque mutuo sumunt ab Anabaptistis, qui ex iisdem fundamentis paedobaptismum impugnant. Unum est: quod Christus non loquatur de infantibus, sed de pueris grandioribus, quos Dominus vocavit ad se, quique ad Christum ipsi venire, & scandalisari possunt, quod in infantiam & primam illam pueritiam non cadit. Bellarmin. lib. 1. de Baptis. cap. 11. Beza in Resp. ad colloq. Momp. part. 2. pag. 98.

LXVI.

Alterum est quod Beza l. d. seorsim objicit, nimirum Christum τῶν μικρῶν qui in ipsum credunt, appellatione, ætatem puerilem non ἀπλῶς sed κατὰ τὴν respicere, eosq; ipsos intelligere, quos Matt. 11. νηπίδς appellat, non ætatis, sed sinceræ & sanctæ simplicitatis habita ratione, ita ut locus ille non intelligendus sit de parvulis & infantibus ætate, sed de iis quos D. Paulus vocat infantis malitiâ, 1. Cor. 14.

LXVII.

Prius illud ab ipsis Evangelistis refutatur, quibus τὸ παιδίον non semper est puer grandior, sed sæpè infans, aut alioquin tenerior. Nam 1. qui à Matthæo vocantur μικροὶ καὶ παιδία, hos Lucas vocat τὰ βρέφη Luc. 18, 15. quam vocem notare infantem rationis usu adhuc carentem, nemo dubitat. Hos ipsos, quos Lucas βρέφη nominârat vers. 15. mox. vers. sequente vocat, παιδία: unde constat, τὰ βρέφη καὶ παιδία, infantes & pueros, sanctis Evangelistis interdum esse ισοδυναμῆντα.

LXVIII.

2. Lucas de illis ipsis puerulis dicit, quod Christo fuerint allati, προσέφερον αὐτῷ τὰ βρέφη, afferebant ei: & Matt. cap. 19, 23. προσήνεχθη αὐτῷ παιδία, allati sunt ad ipsum pueri. Marcus addit cap. 9, 36. quod Christus infantem illum in ulnas receperit. Ergò τὰ παιδία non necesse est interpretari pueros grandiores, sed possunt etiam esse infantes, quos ad Christum portari necesse est.

LXIX.

Neque obstat, quod Christus puerulum illum ad se advocavit. Manifestum enim est, verbum hoc non de iis saltem u-
sur-

surpari, qui venire ipsi possunt, sed ἐν ἁλάτῃ etiam de iis, qui asportantur vel advehuntur: id quod etiam Beza intellexit in annotat. N. T. ubi in cap. 18. Lucæ sic scribit: *Ex vulgata loquendi consuetudine dicitur, puerulum ad se vocare, qui nutricem accersit, que infantem afferat.*

LXX.

Quæ omnia ideò à nobis afferuntur, ut appareat, non necesse esse per παιδίον hic intelligere ejusmodi puerum, qui jam inter auditores Christi versari, ipsum intelligere, & ex auditu verbi fidem percipere possit, ut volunt Adversarii: sed potuit esse quatuor vel quinque annorum (in quam ætatem etiam scandala cadunt) qui fidem in Christum habuit, non ex auditu verbi, sed ex circumcisione, in qua regeneratus fuit.

LXXI.

Sed ut ἐκ περιστάσεως aliquid addam, si maximè Christus grandiusculum puerum in medium statuit, non tamen isto suo pronunciato exclusit infantes ab iis qui in se credunt, sed inclusit: idq; inde patet. Primùm enim suum erga parvulos favorem planè singularem tota ista concione testatum fecit: absit autem ut à favore illo excludamus eos, qui fari aut ratiocinari nondum possunt. Deinde ait Salvator, parvulos illos, de quibus loquitur, suos habere angelos vers. 10. absit autem, ut infantes suis carere dicamus angelis. Deniq; sicuti hic παιδία, ita alibi τὰ βρέφη exemplum ponuntur eorum, qui regnum cælorum ingrediuntur. *Marc. 19, 15. Luc. 18, 15.* Ergo non possumus infantes ab iis excludere, de quibus Christus apud Matthæum loquitur.

LXXII.

Neque opus est, ut hic ætatem vel annos numeres. Adultiores enim ad consequendã fidem ex sese tam sunt inepti ac infantes in cunis jacentes, nisi singularis operatio Spiritus sancti accedat, qui ordinario modo tam per Baptismum in infantibus, quàm per auditum verbi in adultis fidem efficit.

LXXIII.

Posterius obiectum quod attinet, ipse textus Euangelistarum non admittit depravationem Adversarii. Etsi enim non negamus, respexisse Salvatorem ad ea, quæ sunt in pueris laudabilia, in quibus etiam exempli loco proponuntur adultis, interim tamen ætatem puerilem nō exclusit, quando pueris fidem tribuit.

LXXIV.

Statuit enim puerum in medium discipulorum, hunc puerum jubet excipi in nomine suo & non offendi, non aliquem adultiorum pueris similem: hunc puerum ad imitationem proponit iis, qui ingredi volunt in regnum cœlorum, non saltem in humilitate & simplicitate, verum etiam in fide, sine qua nemo vitam æternam ingredi potest.

LXXV.

Non possumus itaq; textum detorque re saltem ad adultos, sincera & sancta simplicitate pueros: sed πρώτως de pueris ipsis ratione ætatis agit Christus, quibus & fidem & regnum cœlorum adsignat, & δεύτερος de adultioribus, quibus pueros illos in fide & simplicitate imitandos proponit: eadem planè ratione, sicut cap. 19. Matth. & pueris & iis, qui pueros imitantur, regnum cœlorum adscribit.

LXXVI.

4. Progredimur ad quartum argumentum, petitum ex analogia Sacramenti circumcisionis, Circumcisio vocatur signaculum Justitiæ fidei, Rom. 4. 11. Unde colligitur, infantes circumcisos habuisse Justitiam fidei, aliàs obsignari non potuisset: Si Justitiam fidei habuerunt, ergo & ipsam fidem.

LXXVII.

Idem de Baptismo dico, qui in locum circumcisionis successit Col. 2. Nam & ille obsignat Justitiam infantibus Novi Testamenti, ergo necesse est, ut & fidem & justitiam fidei habeant, non autem habent eam ex carnali nativitate, sed ex ipso lavacro regenerationis, ut suprâ fuit demonstratum.

LXXVIII.

5. Apparet hoc ipsum ex statu & conditione infantum, in quo vivunt post Baptismum. Certum enim est, infantes Baptisatos libera-

beratos esse à potestate! Satanæ, à quo non amplius captivi tenentur. sed jugum ejus excusserunt, ipsumq; hostem devicerunt. Illa verò victoria nihil aliud est, quàm fides juxta illud D. Johannis: *Omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum* (& sic etiam principem mundi diabolum) & *hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra*, 1. *Joh. 5. 4.* Unde necesseriò sequitur, infantes in Baptismo fide armatos esse.

LXXIX.

Apparet idem ex fine Baptismi. Nisi enim fidem in baptisatis operetur Spiritus sanctus, certè frustra ipsos baptisari oportet. Si enim dicant, Baptismum esse externum duntaxat signum, quo Deus forinsecus testatur, se infantem aliquando, fortasse in senectute extrema, regeneraturum, eo ipso testabuntur, Sacramenta esse vacua signa & carere efficacia illa, quã ex institutione Christi habent, non demum post aliquot temporum intervalla subsequituram, sed eo ipso momento, quo administrantur, collatam.

LXXX.

Neq; obstat, quod Pontificii objiciunt: operari quidem aliquid Spiritum sanctum in Baptismo, sed non fidem actualè: sed infundere in parvulorum mentibus habitus gratiæ justificantis, fidei & spei & caritatis. *Valent. tom 4. comment. Theol. disp. 4. quest. 3. sol. 818.* & *in volum. controv. lib. de Baptismi. parvulorum cap. 5. sol. 471.*

LXXXI.

Sed error errorem trudit, ut unda undam. Nam neque unquam probabunt Pontificii habitum justitiæ vel fidei infundi ante justificationem, vel infulum illum habitum justificare: sed imputatio meriti Christi facta per fidem iustificat adultos & infantes, neq; ulla ratione ostendi potest, fieri id in adultis quidem per fidem actualè, in infantibus autem per habitualem, quia ratio justificationis utrobique eadem est

LXXXII.

Spiritus sancti autem operatio hæc est, quod is parentum & Ecclesiæ precibus excitus operatur in infantibus fidem, hoc est noticiam Christi mediatoris & fiduciam, licet quæ, qualis & quanta sit, neque ratione intelligere, neque verbis exprimere valeamus.

Fidem enim habemus verbis Christi, quod infantium sic regnum cœlorum *Marc. 10. Luc. 18.* quodque parvuli in ipsum credant. *Matt. 18.* cui assertioni meritò plus credimus, quàm adultorum professione, qui sæpè dicunt, se credere, cum tamen & ipsi decipi & alios fallere possint: Christum autem absque dolo esse & mentiri non posse scimus. Ex quo fundamento adversa-

ἀναστροφή
sententia
falsa.

LXXXIV.

Dicunt enim impossibile esse, infantes actu credere, propter suam, qua laborant, *ἀναστροφήν*. Actus enim fidei, inquit, est ex corde, *Rom. 10.* item ex mente, & intellectu, & ex obedientia quadam voluntaria, quod Paulum docere ajunt. *Rom. 6. & 10. & ad Gal. 3.* parvulos verò ad ejusmodi fidei actum cooperari non posse, quia usu cordis, intellectus & obedientiæ carent

Bellarmino
Valentianus Beza.

LXXXV.

Αναστροφή tantùm abest, ut obsit, ut potius ad concipiendam fidem infantes reddat expeditiores. Nihil enim in adultis magis impedit fidem, quàm rationis & sensuum usus, siquidem sapientia carnis inimicitia est adversus Deum, *Rom. 8, 7.* quòd obstaculum cum in infantibus sit remotum, dubium non est, quin Spiritus sanctus facilius fidem operari possit.

LXXXVI.

Quemadmodum enim non negamus, infantes vivere, etiamsi quomodo vivant, ipsi non intelligunt, neque ab hæreditate paterna ipsos excludimus, licet quod hæredes sint, ignorent: ita concludendum etiam non est, quod infantes actu non credant, licet se credere non intelligant, item quod hæredes regni cœlorum non sint, quia hoc ignorant.

LXXXVII.

Viderit autem Beza cum sociis, ne hoc argumento propria vineta cædat. Volunt enim infantes esse in fœdere Dei, & fideles, ut supra ex Paræo audivimus, antequam baptisentur, & tamen negare non possunt, id infantes non intelligere: & de Jeremia constat *cap. 1. 1er.* & de Johanne Baptista *Luc. 1.* quod credi-

crediderint in utero materno, quod tamen ipsos intellexisse aut
scivisse nemo dixerit.

LXXXVIII.

Eodem modo negorium hoc D. Augustinus declarat in
Epistola 57. ad Dardanum: *Dicimus inquit, in baptisatis parvulis,*
quamvis id nesciant, habitare Spiritum sanctum. Sic enim eum nesciunt,
quamvis sit in eis, quemadmodum nesciunt & mentem suam, cujus in eis ra-
tio, qua uti nondum possunt, velut quaedam scintilla sopita est, excitanda &
tatis accessu.

LXXXIX.

Quem autem actum fidei Adversarii describunt, qui sit ex
corde seu voluntate, ex intellectu & obedientia, is adulto-
rum est, qui auditu verbi accenditur, & exercitiis pietatis
declaratur, & conservatur: in infantibus autem licet fides
externis operibus & pietatis exercitiis se non exerat: illi tamen
arcani fidei motus à Spiritu sancto excitati, | negandi non
sunt, nisi eos & regenerari, & Spiritu sancto donari, & Deo pla-
cere, & regni cœlorum hæredes esse simul negare velimus; ea om-
nia enim absque fide ipsis obtingere non possunt.

XC.

Quod si objicias, fides per caritatem est efficax Gal. 5. &
absque operibus est mortua Jac. 2. manifestum iterum est, ex con-
textu locorum allegatorum, illa omnia de fide adultorum dici,
in quibus externa illa operatio locum habet, in infantibus autem
propter ætatis defectum habere nondum potest. Propterea autem
fides ipsa infantibus adimenda non est.

XCI.

Fides enim geminam habet *ἐπέγειον*, una, quæ relatione
ad Christum definitur, & ad Deum assurgit: altera operatione
descendit ad proximum & coram ipso publicè declaratur. Prio-
ris operationis respectu justificat & salvat, posterioris non item,
sed justificatum declarat.

XCII.

Priorem illam operationem Scriptura tribuit parvu-
lis, qua cognoscunt Patrem, 1. Iohann. 2, 14. & credunt in
Christo

Christum, *Matth. 18.* ergo fidem justificantem habent. Et quamvis posterior & exterior operatio ipsis desit, id tamen ipsi fidei justificanti derogare nihil potest, neque enim fides infantum ex operibus externis, sed ex asseveratione Christi & operatione Spiritus S. in Baptismo, cui ipsi obicem ponere nondum possunt, aestimanda est. XCIII.

3. Frivolum autem est, quod *Beza* objicit in *Resp. ad Colloqu. Momp. part. 2. pag. 100.* Si fidem infantum animis aut voluntate Spiritus S. efficeret, fieri non posse, ut non ex tot myriadibus unus saltem quispiam ex illa prima infantia excedens, & firmiter nactus intelligentiae, & affectuum organa, fidei & regenerationis illius testimonium ederet: nullum autem dari posse infantem adolescentem aetate futurum Christianum, nisi qui per auditum eorum, quae ante ignorabat, & quae neque caro neque sanguis docet, fuerit edoctus. Hæc *Beza*. XCIV.

Quæ mihi ex parte videntur ex officina Jesuitarum deprompta. Illi enim in nupero colloquio Ratisbonensi *sess. 12. p. 368. edit. Daving.* expressè dixerunt, se persuaderi non posse, parvulos actualiter credere, nisi adultiores facti, fidei istius suæ recordentur. XCV.

Quibus rectè responsura fuit, ad probationem illius fidei opus haud esse huiusmodi recordatione: ita neque opus est, ut istius suæ fidei & regenerationis testimonia edant. Quemadmodum *D. Johannes* in utero materno agnovit filium Dei & præ fide exultavit: & tamen istius suæ fidei infantilis neque recordatus est, neque testimonium edidit, cum adolesceret, sed licet fides in ipso maneret, tamen individuum personam haud perinde sibi notam esse testatur *Joh. 1.* sed ex alio principio eam nosse didicit. *Non noveram illum, inquit, sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, super quem videris Spiritum descendantem & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto.*

XCVI.
Ita infantes baptisati suo & nobis inexplicabili modo cognoscunt Christum & credunt in eum, quando adhuc ab ubibus matris pendent, operante hoc in ipsis Spiritu S. per Baptismum, postea cum adolescunt, majorem & discretiorem notitiam Christi & ceterorum articulorum fidei accipiunt per institutionem

tutionem Catechetica & auditum verbi, operante itidem Spiritu S. per ista media adultioribus destinata *Rom. 10. Gal. 6.*

XC VII.

Istæ verò duæ operationes Spiritus S. quarum una fit per Baptismum in infantia, altera in proveciore ætate mutuo se non tollunt, sed mutuas operas præstant, ita, ut quod in infantibus ceptum est, in ijs ipsis, postquam adoleverunt, per auditum, verbi perficiatur. & custodiatur. Quo nomine parentum hîc requiritur industria, ut in timore Domini infantes educantur, & à teneris sacras literas discant, ne adultiores facti fidem & Spiritum S. in Baptismo acceptum, peccatis contra conscientiam amittant.

XC IIX.

Sed pergit Beza loco dicto, *Quòd si tam certò statuendum est, illos esse intellectu credentes, & voluntate renovatos: cur non etiam recens baptisatos ad cœnam Domini, utpote ne de cogitationibus quidem pravis suspectos, admittimus.*

XC IX.

Atqui, cur infantibus non porrigatur Cœna Dominica, notum esse poterit Bezae, ex ijs quæ olim contra Aphricanam Ecclesiam ea de re disputata sunt: nimirum, quia Cœna Dominica instituta est pro ijs, qui se ipsos probare possunt 1. Cor. 11. quæ probatio cum in infantes per ætatem non cadat, profanatio fieret Sacramenti, si ijs porrigeretur, qui se probare nondum possunt.

Præterea Cœna Dominica est Sacramentum non initiationis, sed confirmationis, pro ijs institutum, quorum fides temptationibus infirmata fuit. Tale quid in infantes cadere, ne quidem Adversarij dixerint: Scriptura enim de eis fatetur, quod nesciant bonum vel malum *Ion. 4.* & quod malitia non mutarit intellectum eorum *Sap. 4, 9.*

CI.

Sed facile divinare possumus, quare hæc scripserit Beza. Non enim omnino displicet Spiritui Calviniano, si infantibus etiam sacra cœna porrigatur in quam sententiam rationes asserre non dubitavit *Wolffgang. Musculus in loc. com. L. de Cœna Domini pag. 372.* Quæ sententia si Bezae quoq; placet: ipse viderit, quomodo eam cum doctrina Calvinianorum de fide parvulorum conciliet, ex nostra certè sententia tale quid non sequitur, ut jam demonstratum fuit.

D

102. Porro

CII.

Porro ridiculi sunt Pontificij, qui infantes ideò fidem in Baptismo accipere negant, quia ejulant & manibus pedibusque apertè renituntur, cum baptisantur. *Bellarminus cap. 10 lib. 1. de Bapt.* proinde Sacrilegos vocavit *Tannerus* infantes, si crederent & tamen ita reluctantur *Colloq. Ratisp. sess. 13. pag. 163.* Similia habet *Bellarminus lib. 1. de Sacram. in gen. cap. 14.*

CIII.

Verùm si ita ludere placet in re seria, idem etiam dicant de morientibus, quos naturaliter mortis doloribus terreri, iisdemque reluctari constat, num ergo & ijs fidem negabunt? Sic nemo unquam in vera fide ex hac vita decedet. Stante etiam dogmate Esavitico, nemo unquam in Baptismo regenerabitur, aut sine sacrilegio non regenerabitur, quia quod de fide dicunt, de regeneratione etiam dicant, oportet.

CIV.

Proinde verè ridiculum & absurdum est, ob motus illos ex naturæ sensu elicitos, quibus nemo hominum destituitur, negare velle spiritualem illam Spiritus Sancti operationem in infantibus. Neque enim ad hanc Spiritus Sancti operationem reluctantur infantes, sed ad externum aëris & aquæ rigorem, qui tam parum obest fidei & regenerationi parvulorum, quam olim in circumcissione dolor naturalis inflictus infanti. *Vide Bernardum de illis vagitibus infantis, quæ nunquam suo more ἀλλήγοεινός, multò tamen religiosius differentem serm. 66. in cant. mihi fol. 162.*

CV.

Sed hæc hæcenus, ex quibus cætera, si qua sunt, Adversariorum ἀντιπρῆξα facile dijudicari possunt. Demonstravimus igitur, DEUM per Baptismum ordinario modo fidem largiri infantibus, quemadmodum adultis per auditum verbi: licet qualis sit fidei ratio in parvulis, exactè definire non valeamus: non enim dependet hæc res à nostro intellectu, sed à Christi pronunciato, & à perpetuo Justificationis nostræ modo, quam absq; fide in Christum non fieri constat.

C VI.

Hic verò alia oritur quæstio: Si infantes in Baptismo fide *De interrogati-
non destituuntur, cur ergo Patrini, quos vocant, seu Iponsores tione & re-
in actu Baptismi, respondent pro infante, se credere, cum ta- sponsione Pa-
men quæstio non sit de Patrinis, sed infantibus, num credant? trinorum in
actu Baptismi.*

C VII.

Bellarminus existimat fidem illam patrinorum non perti-
nere ad substantiam Baptismi; sed esse duntaxat dispositionem
quandam, quæ præcedat Baptismum, propter quam tamen in-
fans non dicatur fidelis: & hoc esse Baptisari in fide parentum
aut Ecclesiæ *lib. 1. de Sacram. cap. II. propos. 5. §. Est autem.*

C I X.

Gregorius de Valentia etsi concedit, fidem illam alienam esse
dispositionem Baptismi, imò scribit, fidem illam valere ac suffi-
cere in parvulis ad Justificationem, tanquam dispositionem
quandam moralem proportionatam conditioni parvuli: tamen
non dubitat, parvulum ea fide appellare fidelem. Nam ex Au-
gustino respondet *Da. Chemnitio*: Sicut credere responderetur
parvulus, ita etiam fidelis vocatur, non rem mente annuendo:
sed ipsius rei Sacramentum percipiendo. *Valentianus tom. 4. disp. 4.
quæst. 3. punct. 3. fol. 819.*

*August. Epist.
23. ad Dar-
dan.*

C I X.

Ex Sacramentarijs *Wolffgangus Musculus*, alijs fortasse sapi-
entior, in locis communibus *L. de Baptismo fol. 340.* consuetudinem il-
lam interrogandi patrilos absq; ratione receptam in Ecclesia
dicit, eamque adeò absurdam vocat, ut defendi nequeat: ipseq;
aliam formulam substituit, quæ videatur loco dicto.

C X.

Augustinum etiam suggillat, qui responderi scribit crede-
re parvulum, quia fidei Sacramentum percepit. Atqui (inquit
Musculus) *Si Sacramentum fidei fides est, quomodo fidem habere dicitur
infans, qui Baptismum nondum habet, & ideò interrogatur, num credat,
quo Baptismum accipere possit? Deinde non interrogatur: num Sacramen-
tum fidei habeat, sed num credat. De fide est interrogatio, non de Sacra-
mento fidei, etiamsi habeat Baptismum fidei Sacramentum, nondum tamen
eum fidem habere veraciter dici potest.* Hæc Musculus.

D 2

XII. Ita

CXI.

Ira hinc inde de consuetudine ista, inter Pontificios & Sacramentarios digladiatum fuit. Ad quæ pauca respondemus, & quæstionem illam faciliorem facimus, dicendo, consuetudinē istam, quod patrini in actu Baptismi interrogantur, num credant, & respondent, se credere, non nisi CEREMONIAM esse antiquitus introductam.

CXII.

Hinc sequitur, quod neq; ad substantiam Baptismi pertineat, neq; dispositio ad Baptismum sit. Potest enim Baptismus etiam absq; hac ceremonia ritè administrari. Neq; propter illam confessionem patrinorum infans fidelis appellatur, neque prorsus absq; ratione introducta est, ita ut defendi prorsus nequeat.

CXIII.

Meminit hujus consuetudinis non saltem Augustinus serm. 116. 163. & 215. de tempore, Tertullianus lib. de Baptis. Verum etiam antiquissimus Scriptor Hierarchiarum, (sive is sit Dionysius Areopagita, sive alius quilibet, nihil refert) Is enim cap. ult. hierarch. Ecclesiastica sub finem pag. mibi 178. patrilios, divinissimos pueri Patres, & salutis sacræ anadochos nominat, & istum abrenunciandi & confitendi morem, loco infantis, magnoperè commendat.

CXIV.

Usus autem habet, cum cæteris in Baptismo usitatis ritibus communem, nimirum σπυαίλιον & υδελιόν. 1. Repræsentat enim medium sive ὄργανον, quo salutaris Baptismi fructus apprehendatur, nimirum fidem. 2, Ostendit, in quam fidem baptisetur infans, eam nimirum, quam de Sacrosancta Trinitate orthodoxa tenet Ecclesia. 3. Commonefacit etiam Baptisatum, quando jam adolefcit, ut in ea fide constanter perseveret, quam per defectum ætatis confiteri ipse nondum potuit, voce tamen ἀναδόχῃ confessus fuit: 4, & deniq; patrinus semetipsum hac confessione obligavit, quod nihil reliqui facturum sit, quod ad fidem in infante confirmandam atq; conservandam spectet, quam ob causam patrini; etiam sponsores infantium appellantur. Quem postremum usum imprimis urget Augustinus locis supra allegatis.

115. Appa-

CXV.

Apparet ex his paucis, consuetudinem illam non conferre fidem infanti: eam enim in Baptismo accipit, neque otiosam aut profus inutilem ceremoniam esse; neque etiam ut rem necessariam retineri: sed omitti posse, ut *ἀνάλογον*: in gratiam autem Spiritus Sacramentarii neque omitti neque mutari debet, cum nihil habeat neque indecori neque impietatis. CXVI.

Quod autem Augustinus scribit, parvulos vocari fideles, quia accipiunt Sacramentum fidei, non eum habet sensum, quasi fidem ipsi non habeant, sed saltem signum fidei, quemadmodum Musculus accipit, cui more Calvinianorum, Sacramentum nihil reale est, sed saltem signum rei: sed quod in Sacramento Baptismi verè fidem accipiant, & ob signationem fidei, licet eam suo demum tempore aperta confessione edant.

CXVII.

Et hoc nominat D. Bernhardus fidem involutam in Sacramento. Nemo mihi dicat (inquit Ser. 66. in Cant.) quia non habet fidem, cui mater (Ecclesia) impertit suam, involvens illi in Sacramento, quousque idoneus fiat proprio non tantum sensu, sed & assensu evolutam puramque percipere.

CXVIII.

Sed satis etiam de istis, Jam quid de Infantibus Christianorum non Baptisatis, quo ad hanc de Fide parvulorum quaestionem, statuendum sit, paucis indicandum restat.

CXIX.

Pontificij dum infantes non baptisatos ad limbum puerorum in inferni vestibulo fabricatum derrudunt, eo ipso eis fidem & regenerationem simpliciter & absque omni discrimine derogant: idque ex communi Theologiae suae principio: quod nimirum gratiae divinae & meriti Christi applicatio fieri non possit, nisi per medium aliquod externum. Vide inter cetera Coll. Ratisb. edit. La Ving. p. 44. & 47. in primis pag. 52. ubi tale extat pronunciatum Aiberti Hungeri disputatoris jejunissimi: Eiusmodi infantes, qui sine Baptismo decedunt, non salvantur, quod est fides Catholica. Si non salvantur, ergo neque fidem habent, quod omnes concedunt Pontificij.

CXX.

Calviniani infantes Christianorum non Baptisatos à regno

D. 3

(ex

De infantibus
Christianorum
non baptisatis.



(ex ipsorum sententia) ut filij Dei tunc primum fiant, qui ante a-
lieni fuerint ab Ecclesia, sed solenni potius signo ideo recipian-
tur in Ecclesiam, quia promissionis beneficio jam ante ad corpus
Christi pertinebant. *Vide Calvinum institut. lib. 4. cap. 15. §. 22. & cap.
16. §. 24.*

CXXI.

Mediam sententiam nostræ tenent Ecclesie: nimirum in-
fantes Christianorum vel in utero matris vel alio casu morte præ-
ventos, antequam baptisari possint, damnandos non esse, sed De-
um in isto necessitatis casu ipsis & fidem & vitam æternam do-
nare, modo tamen extraordinario: id quod neq; contra potenti-
am, neq; contra voluntatem Dei est.

CXXII.

Quod possit hoc præstare Deus, diversimodè ostenditur. Pri-
mum quia non sibi sed nobis hunc Canonem præscripsit: *Nisi quis
tenatus fuerit ex aqua & spiritu, non ingredietur in regnum cælorum Ioh. 3.*
Hoc regenerationis medio uti semper debemus, quando possu-
mus: in casu verò necessitatis Deus ipse medium novit, per quod
& fidem & regenerationem conferre possit: ipse enim lege seu
Canone illo non astringitur. CXXIII.

Neq; etiam eo Canone adstringuntur infantes in utero defun-
cti, aut in partu extincti; Ad eos enim pertinet Canon, qui nati
sunt: nondum autem nati renasci non possunt. Ergo fulmen il-
lud divinæ vocis ejusmodi infantes ferre non potest: sed DEUM
extraordinario modo ipsis & fidem & salutem largiri æternam,
credimus. CXXIV.

Quod ipsum etiam ex formula Baptismi colligimus, in qua ijs,
qui baptisati sunt, & credunt, salus attribuitur, cum autem de da-
mnandis dicendum esset, non fit mentio non baptisatorum, sed
incredulorum saltem. Ita enim habent verba *Marc. 16. Qui credide-
rit & baptisatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, damnabitur.*
Quo quasi digito notatur, DEUM, si ita opus fuerit, etiam extra
Baptismum medium invenire posse, quo fidem infantibus largi-
atur, qua à damnatione æterna præserventur. CXXV.

Deniq; non desunt Exempla talium infancium, quibus & fi-
des & Spiritus S., divinitus contigit, antequam Sacramento ini-
tiationis

rationis Deo fuerint oblati. De Jeremia dicit Dominus: *Antequam te formarem in utero, novi te, & antequam exires in lucem, sanctificavi te, Jerem. 1, 5.* Quod etsi in specie de munere Prophetico loquitur: respectum tamen habet ad fidem & singularem gratiam Dei; quæ Jeremiæ in utero matris adhuc latitanti contigit, sine qua Deus ipsum neq; gratiosè nosse, neq; ad munus tam sublime segregare potuisset.

CXXVI.

Exemplum longe illustrissimum habemus in Johanne Baptista, quem in utero matris, ad adventum Messiae præ gaudio exultasse refert Scriptura *Luc. 1,* qui motus, cum, juxta Ambrosij verbum, factus sit non humanitus ab infante, sed divinitus in infante, non dubitamus, quin ex fidei agnitione Domini ac Salvatoris sui factus fuerit.

CXXVII.

Ex quo Exemplo, non quidem regulam universalem constituimus, ut perperam nobis objiciunt Adversarii, quasi in omnibus infantibus idem fiat: Sed DEO operationem hanc extra ordinariam non esse impossibilem, neque inusitatam, rectè inferimus, dicentes cum Augustino Epist. 58. ad Dardanum: *Si aded est in illo puero (Johanne) usus rationis & voluntatis acceleratus, ut intra viscera matris posset agnoscere & credere & consentire, etiam est in miraculis habendum divina potentia, non ad humana habendum est Exemplar nature.*

CXXIX.

Accedit tandem latro in cruce, (quo exemplo D. Augustinus utitur *lib. 4. cor. Donatist c. 23.*) quæ neq; baptisatū neq; circumcisum, neq; auditorem verbi divini fuisse constat; & tamen in ultimo agone fidem in Christum habuit ex singulari & extraordinaria operatione Spiritus S. *Luc. 23.* alioquin haud dubiè incola Paradisi esse non potuisset. In illum n. locū nihil intrabit immundi: fide purificantur eorda *Act. 15.*

CXXIX.

Prætereà quod non modò possit, sed & velit Deus infantibus præmatura morte præventis, antequam baptisentur, largiri fidem & Spiritum S. probari potest duplici ratione. *Primum,* ex universali Dei voluntate atq; gratia. Is enim non vult, ut pereat unus de pusillis istis *Matth. 18.* cum a, eos, qui non credunt, perire necesse sit *Marc. 16. Job. 3,* dubitandum non est, quin extraordinariè fidem largiturus sit ijs, qui nulla suâ culpa ordinarijs medijs destituuntur.

130. Deinde

CXXX.

Deinde ex veritate promissionum Dei, quas fecit rectè & ex animi sententia precantibus. Omnes enim promissiones Dei in Christo Est & Amen, h. e. certæ & indubitatae sunt. 2. Cor. 1, 20. Promisit Deus exauditionem precum in nomine suo & ex animi sententia verâq; fide factarum Psal. 145, 19. Iob. 16, 23. Matth. 21, 22. in primis autem illæ preces non possunt esse frustraneæ, quæ conjunctis fiunt animis à duobus vel pluribus, teste Christo Matth. 18, 19. Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis est.

CXXXI.

Parentum itaq; piorum est, ut maturè precibus ardentissimis infantes in utero adhuc delitescentes Deo offerant, & gratiæ luæ commendent, à peccatis purgari, fide ac Spiritu S. donari perant. Quod si seriò fecerint, dubium nō est, quin impetraturi sint, quod petunt, sive Deus ordinario sive extraordinario modo id in infantibus operetur: in eo enim Deus liberrimè agit, quod vult: in cujus voluntate Ipsi quoq; fideliter acquiescunt.

CXXXII.

*Ambros. in
serm. de obitu
Valent. jun.*

Ita D. Ambrosius de Valentiniano juniore Imperatore ante Baptismum mortuo scripsit; quod ipsum fides sua laverit & petitio consecraverit. Petitio nimirum parentum, quæ fidem impetravit filio: petitio etiam & devotio ipsius filij (erat enim non infans, sed adolescens, cum moreretur) quâ se Deo consecravit, fidemq; consecutus est etiam extra Sacramentum Baptismi, quo, ut Ambrosius loquitur, celeritate temporis, non voluntate fraudatus fuit.

Soli Deo Gloria.

05 A 2066

ULB Halle
003 784 800

3




VD 77

6d1







DISPUTATIO ORDINARIA
De
**FIDĒ PARVULO-
RUM**
Iesutarum & Calvinianorum strophis opposita
ET
Adjuvante DOMINI Spiritu
In inclyta Academia VVITTEBERGENSI publi-
ci exercitij gratia proposita
AVTORE & PRAESIDE
FRIDERICO BALDUINO
S. Theol. D. Professore Pasto-
re & Superintendente
RESPONDENTE
M. MATTHÆO BACHMANNO
Dresdensi, Collegij Philos. Adjuncto.
Habebitur discussio a. d. 25. Ianuar. horis & loco solitis.
VVITTEBERGÆ,
E Typographico Iohanna Gormanni, Anno 1611.